



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

De aliis nonnullis Pontificibus, qui Ordinis Monastici fuisse putantur, & non sunt. cap. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

De alijs nonnullis Pontificibus, qui Ordinis Monastici  
fuisse putantur, & non sunt. Cap. IIII.

**N**UMERANTVR & alij Pontifices Ordinis Monastici, quorum primus est Alexander Papa II. quem Bugianus & Illescas, ex Cathedra Pontificali & Cronica antiqua Monachum fuisse affirmant; sed Ioannes Baptista Cauallerius in Iconibus Pontif. Rom. & alii non pauci, unanimi consensu Canonicum Regularem fuisse testantur, quibus libenter manus damus, tanquam opinioni veritati magis consentaneæ, ideoque ab cæterorum Catalogo hunc exclusimus.

Clemens III. citatus ab Illescas lib. 3. cap. 30. nominatenus tantum, in recapitulatione Monachorum Pontificum, a nemine, quod sciam, nec Monachus quidem fuisse memoratur; arbitrorque potius errore librariorum in scriptis uiri alioquin doctissimi irreptisse, quam negligentia sua; præsertim quod cum de eo agit nihil tale de eo scribat.

Citat & Donnus Georgius Cabillau Aldenardensis, Monachus S. Petri Oudemburgensis, & meus in Nouiciatu Magister, in historia quam composuit de fundatione Monasterij nostri, Vrbanum IIII. tanquam Ordinis Monastici Religiosum, quod unde id accipit penitus ignoro; ne dubia igitur pro certis afferre uidear, id tantum insinuasse sufficiat.

Trittemius lib. 4. cap. 20. ex aliorum sententia, Innocentij VI. Gregorii XII. & Benedicti XIII. Monachorum, illius quidem ante Pontificatum, istorum uero post Pontificatum, meminit, quam opinionem, cum eodem Trittemio, ut friuolam & fundamento carentem, reprobamus, cum nullus omnino Historicus tale aliquid affirmare audeat.

Coronidis loco adfertur ab Illescas lib. 6. ca. 30. Paulus Papa III. tanquam Vineæ Benedictinæ palmes cuius uerba sunt: *T algunos dicen que fue Monje de Sant Benito, y afirman que romo el habito de aquella Santa Religion en el Monasterio de Sant Seuerino de Napoles: y si es así (como lo oy a personas de mucha authoridad, que afirmauan auer lo oydo a Folengio Monje Casinense, ab qual embio el mismo Paulo III. a visitar a Espana los Monasterios della) auian sido treynta y ocho los Pontifices desta Orden de Sant Benito, aunque otros*



otros dicen que fueron quaranta y seys: Sed quam longè a ueritate aberret omnibus est manifestum, cum nec unquam Monasterium S. Seuerini ut Monachus fieret intrauerit, nec etiam in Matriculis Congregationis nostræ Casinensis, ut talis inscriptus reperitur. Septem ergo ex industria omisimus, quos a præfatis auctoribus, non satis considerate, inter Monachos connumeratos agnouimus.

De Monachis, qui ad Pontificatum euecti, non rectè pro Pontificibus se gessere,

nam

*Nemo sumit sibi honorem, sed qui uocatur à Deo, tanquam Aaron. Hebr. 5. Cap. V.*

PHILIPPVS ANTI PAPA.

**P**HILIPPVS Romanus, Monachus, & Abbas Monasterij Sancti Viti Romæ, Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, in Schismate, contra Constantinum II. Nepefinum ex laico contra Canones creatum, a quibusdam Clericis & Laicis, Summus Pontifex die 4. Idus Iulij renunciatus, necnon pridie calendas Augusti consecratus A. C. 767. Indict. 5. anno sequenti 768. Pontificatus sui anno primo, die 24. pridie nonas Augusti, coactus à Christophoro Primicerio, Pontificatu abdicauit, & ad Monasterium suum reuersus, in eodem Abbas, & Cardinalis, obiit.

ANNOTATIO.

Pontificatus, & Monachatus huius Philippi, (qui à nonnullis Philippicus uocatur) notantur à Pannino in utroque Epitome & chronico, & quibusdam alijs recentioribus. Si Ecclesiæ auctoritas non obssisteret, quæ Philippum, inter Pontifices non enumerat, posset inter Pontifices legitimos computari, quod quodammodo bene creatus referatur, non in Schismate veri Pontificis (ut ego reputo) sed contra Constantinum laicum, qui contra Canones creatus fuerat, et ideo iuste, & rectè Pontifex renunciatus uidetur. Magistrum attamen Ecclesiam sequi hic malimus, quam aliquid nostra auctoritate dicere.